



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Commentarii Exegetici In Apocalypsim Ioannis Apostoli

Viegas, Brás

Parisiis, 1615

Argumentvm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39261

ARGUMENTVM.

Similis ille filio hominis precepit superiori capite Ioanni, ut ostensa sibi mysteria literarum monumentis consecraret, imprimisque, ut ad septem minoris Asiae Episcopos, quibus praesidebat, eorumque nomine ad vniuersos Ecclesiae Praelatos diligenter scriberet, quae ipse diceret ad Ecclesiarum administrationem pertinentia: id quod praestat duobus capitibus sequentibus, quibus praeter eam, quam haecenus explicauimus, visionem, prima huius operis pars continetur. Nam hoc 2. cap. ad quatuor Episcopos, in 3. ad tres reliquos dantur literae, quibus sui officij commonentur. Ad Ephesinum autem Episcopum primò scribitur, quoniam is reliquos dignitate anteibat: quia nimirum Ephesus metropolis erat omnium minoris Asiae Ecclesiarum, & alterum Asiae lumen, ut appellat Plinius, clarissima templo illo Dianae celeberrimo, quod inter septem orbis miracula connumerari meruit, quippe quod ducentis viginti annis à tota Asia edificatum, longitudinem habuit quadringentorum viginti quinque pedum, latitudinem ducentorum viginti, centum viginti septem columnis exornatum, sexaginta pedum altitudine, quarum singula de singulis Regibus gloriabantur conditoribus, qua de re legendus est Plin. lib. 36. c. 14. propter quam Urbs celebritatem moratus est in ea Paulus per triennium, ut refertur Actor. 20. Ioannesque Apostolus sui in Asia Patriarchatus sedem fixit. Non desunt, qui affirmant Ioannem primum fuisse Ephesinae Ecclesiae Episcopum, cui Timotheus successerit, vero similis videtur quod ait Eusebius Caesariensis. lib. 3. historia Ecclesiastica, cap. 4. primum Ephesi Episcopum fuisse Timotheum, quem Paulum in Episcopum consecrasse perspicuum est ex 2. ad Timotheum 1. Ephesique reliquisse ex 1. ad Timotheum 1. Quis autem fuerit hic Episcopus, ad quem modo Ioannes scribit, incertum est, quamuis non sine probabilitatis specie Lyranus in commentarijs huius capituli cum dicat de communi interpretum sententia fuisse eundem Timotheum, cum cuius testata fide ac probitate non multum pugnant ea, de quibus Christus cum Ephesi Angelo expostulat, ut suo loco dicemus. Denique literae laudem, increpationem, & comminationem continent.

CAPVT SECVDVM.



In Angelo Ephesi Ecclesiae scribe: Haec dicit qui tenet septem stellas in dextera sua, qui ambulat in medio septem candelabrorum aureorum: Scio opera tua, & laborem, & patientiam tuam: & quia non potes sustinere malos, & tentasti eos, qui se dicunt Apostolos esse, & non sunt, & inuenisti eos mendaces: & patientiam habes, & sustinuisti propter nomen meum, & non defecisti. Sed habeo aduersum te pauca, quod